



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

3. Pactum solvendi pensionem, etiamsi res pertat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

de perpetua te: Et quidem ius redimendi, vel non redimendi censum intra certos annos est pretio aestimabile; cur ergo emi (seclusa lege in contrarium) iuste non possit?

2. Dixi (seclusa lege) nam posterius pactum ex dictis, quia habet speciem quandam usuræ, & periculum illam palliandi, prohibuit Pius V. in Bulla modò dicta, & inferius citanda. Prius autem pactum aliqui cum Navar. Less. Mol. Salas, apud de Lugo dicunt, non fuisse prohibitum à dicto Pio V. licet fuisse prohibitum teneat Bonac. Rebel. apud eundem de Lugo n. 4. cum quo sentio, quia una ex conditionibus à Pio V. positus, est ut census possit semper redimi à venditore. Ita etiam tenet de Lugo, d. 27. de *Inst. n. 112*. licet probabilem fatear esse sententiam Navarri.

§. II. Pactum absolutum Redemptionis ex parte Venditoris, vel ex parte Emptoris.

1. Dico primò, licitum esse, emere censum realem cum pacto, ut idem census possit redimi, quandoque voluerit venditor redimere.

Hoc pactum approbatur, immò in omni censu requiritur à Pontificibus Martino, Calisto, Pio, & probatur ratione, quia licitum est, res alias vendere cum pacto, ut emptor illas teneatur revendere ad arbitrium venditoris, ergo, & census. Nec est periculum usuræ, quia hoc non est mutuum, sed venditio, & emptio. Adde, in mutuo mutuatarius obligari ad reddendam pecuniam mutuatam, at censuarius, qui est venditor, non obligatur reddere pecuniam acceptam, sed solum, si velit, potest illam emptori reddere, & sic censum extinguere: ergo hoc non est mutuum.

2. Dico secundò, licitum esse, emere censum realem cum pacto, ut possit redimi, quando voluerit venditor, vel quando voluerit emptor: quod est dicere, emere censum ex utraque parte redimibilem.

3. Hoc pactum, licet propter similitudinem cum usurâ sit à Pio V. prohibitum, secundum præsumptionem fori externi ut habet Medulla Theol. lib. 3. tract. 5. cap. 3. §. 9. n. 7. alique, tamen ex natura sua licitum est. Ita Less. lib. 2. cap. 12. dub. 10. & Valent. t. 3. in 2. d. 5. §. 25. p. 2. qui addit Romæ in Consultatione, cui ipse interfuit, à viris doctissimis id fuisse probabile iudicatum. Probatur autem, quia, qui emit censum realem, redimibilem solum ex parte venditoris, modo dicto n. 1. in priori pacto, quod omnes approbamus, v. g. qui centum aureis emit censum quinque aureorum, non videtur illicitè agere, si post dictum censum constitutum, seu post celebratum, jam contractum cum priori dicto pacto, deinde de novo paciscatur cum eodem venditore, ut venditor non solvat quinque, sed quatuor, cum pacto tamen, ut non possit redimere dictum censum, nisi, quando voluerit ipse emptor, non videtur, inquam, agere illicitè, quia illud onus satis compensatur ab ea diminutione census. Ergo, quod licitè sit per duos contractus, potest fieri simul in uno, quando jam erit casus posterioris pacti, de quo loquimur; nam plures licitos contractus simul exercere illicitum non esse, docemus ex Iure Civ. de commodato, l. 1. de Deposito, & passim omnes.

4. Ex his tamen vides, quando apponitur ejusmodi pactum, debere compensari hoc onus, & consequenter debere censum emi majori pretio, secundum, quod prudens vir existimaverit.

5. Dico tertio, si ponatur pactum, maxime in censu merè personali, ut solum tunc possit redimi census, quando voluerit emptor, valde suspectum illum esse, quòd usura committatur, licet in rigore, si hoc tantum onus iuste compensetur ab emente, non videatur ex natura rei usurarius, quia tamen nolimus illum in praxim deducere, si sit id innuisse, & videri poterit Valentia, t. 3. in 2. d. 3. §. 25. p. 2. v. Quartum, qui testatur nullum Doctorem id in censu merè personali concessisse.

Pari III.

§. III. De Pacto solvendi Pensionem, etiam si res illi subiecta pereat.

1. Ratio dubitandi, cur id pacisci non possis, est, quia contractus censualis intrinsecè postulat, ut pereunte re (cum tunc pereat, & fructus) pereat, & census.

Nihilominus dico, hoc pactum esse quidem præter naturam contractus censualis; non verò esse contra, quasi ipsum censualem contractum destruat: Quare dico, seclusa lege positiva, esse licitum ex natura sua, licet non negem, esse dissuadendum propter periculum usuræ. Ita Valentia l. 6. & Lessius litem cit. Et Valentia quidem ait, hoc idem censuisse illos Doctissimos in ea Consultatione, de qua in præf. §. meminimus n. 3. Ratio autem quod liceat, est. Tum, quia, sicuti in aliis contractibus potest adjici hoc pactum, ita in casu nostro, dummodo tamen hoc onus, quod imponitur venditori, compensetur, augendo pretium census, vel, quod in idem redit, dummodo minor pensio designetur; Tum, quia hic sunt duo contractus implicite, alter constitutionis census, alter, quo venditor census constituitur hæc jussor pensionum solvendarum.

2. Hinc vides, hoc pactum posse tutius reduci ad pactum assicurationis, ut, si res, in qua census fundatur, pereat, damno venditoris pereat, qui sit obligatus vel pretium totum reddere, vel super alia sua bona censum constituit. Sed, ut dixi, debet compensari totum onus, quod venditori imponitur. Et quidem in nostro Regno, ejusmodi assicuratio in ipsa fundatione census solet apponi per illam clausulam (*& super omnia bona, &c.*) idque concessit Nicolaus V. ut paulò post videbimus, dum concessit, posse apponi omnia pacta, utique præter ea, quæ sunt contra substantiam contractus.

3. Atque ex his, & aliis oneribus, quæ in fundationibus census in Sicilia solent addi ad securitatem emptoris, puto, rationabiliter latam esse à Domino Rege Nostro Pragmaticam, id est, legem *infra d. c. 6 §. 5. n. 5*. ponendam, quæ, ut compensatio fieret ad æqualitatem tot pactorum, quæ contra venditorem apponi solent, sancivit, ne census emeretur in posterum amplius ad rationem decem pro centum, sed, ad summum, ad rationem quinque pro centum, nam sic compensat emptor illa opera, quæ imponit venditori census. Non est igitur acquiescendum aliquibus, qui aiunt, iniustam fuisse hanc Pragmaticam, seu hanc legem ex eo, quia putant Regem habuisse respectum ad proprium interesse, quo multas censuum pensiones solvebat Regnicolis ad rationem decem pro centum. Non est, inquam, acquiescendum, quia, quicquid sit de intentione interna Regis (quæ tamen bona in dubio semper est præsumenda) cum lex sit iusta ex objecto, ut vidimus, non potest reprobari, ut iniusta ex quocunque affectu Regis interno, ut, si Rex ferat legem, qua damnandi sint fures ad Tritemes, non propterea ea lex est iniusta, & repellenda, quia ipse ex odio peccaminoso, velit, ludum bonorum subreptores cruciare. Sed de iustitia hujus Pragmaticæ iterum dicetur; *infra, c. 6 §. 5. à n. 2.*

§. IV. Pactum, ut, non soluta pensione, res cadat in commissum.

1. Solet aliquando addi pactum, ut, si censuarius pensionem non solvat intra duos, vel tres annos, res censui subiecta cadat in commissum, id est, incurrat penam, ut dicta res fiat emptoris census. Idne licitum est? Dico, positus tribus conditionibus, esse licitum. Ita Tol. lib. 5. c. 48. quia iis positis, ex nulla parte apparet iniustitia, seclusa semper lege in contrarium.

2. Prima conditio est, ut culpa sua venditor census pensionem non solverit, cum tamen potuerit. Secunda, ut pena proportionetur culpæ; unde non potest pro exigua pensione non soluta cadere in commissum prædium multi valoris, sed,

Z 2 sed,